



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Forma Vernacvla Lingva Copvlandi Rite Desponsatos, Et  
Legitime Proclamatos, Secvndvm Catholicæ & verè  
Apostolicæ Ecclesiæ ritum**

**Leisentritt, Johann**

**Coloniae, 1590**

**VD16 L 1074 (Beigef. Werk)**

Capvt I. De Matrimonio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39240**

TRACTATVLVS  
CAVSARVM MA-  
TRIMONIALIUM SA-  
CERDOTIBVS CVRAM ANIMA-  
RVM GERENTIBVS ADMODVM UTILIS ET

necessarius, ex sacra scriptura & probatis Catholicæ Ecclesiæ.

Iurisq; Canonici scriptoribus, pro vtriusq; Lusatiæ

Misnen. diocesis presbyteris, opera

& industria.

REVERENDI VIRI DOMINI  
IO ANNIS LEISENTRITII, ECCLESIAE

*Budiss. Decani, &c. in lucem editus.*

DE MATRIMONIO.

CAPVT I.



Matrimonium ab effectu magis à matre, quàm à patre di-  
ctum est, quasi matris munium, quia fœminis maximè  
incumbit educandæ prolis officium in vtero & extra,  
donec quodammodo per se stare possit, vt habetur &  
probatur apud Ioan. Vigue. in Instit. Christia. 5. 7. de Sacra. Ma-  
tri. Vel dicitur Matrimonium, quasi matrem muniens, quia mu-  
lier per matrimonium iam habet, à quo muniatur & defendatur,  
scilicet virum. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem monens,  
ne virum relinquat, alteri adhærens. Vel matrimonium, quasi ma-  
teria vnus, quia in eo fit coniunctio ad prolem materialiter edu-  
candam. Vel secundum Isidorum, à matre & nato, quia per hoc ef-  
ficatur aliqua mater nati.

*Quo-*

## FORMA

*Quotuliciter possit considerari Matrimonium.*

Matrimonium potest considerari dupliciter, vno modo, vt est officium quoddam naturæ. Alio modo, vt est Sacramentum Ecclesiæ.

*Matrimonium, vt est officium naturæ, quid sit.*

In quantum est officium naturæ, (secundum Philosophos & Iuristas) est viri & mulieris coniunctio inter personas legitimas, (hoc est coniungi non prohibitas, secundum ius diuinum aut humanum) indiuiduam consuetudinem vitæ retinens (27. q. 2. §. 1. Extra de præsump. illud.) ad prolem generandam, educandam & promouendam, ac ad sibi inuicem mutuò obsequendam, & opera ordinata communicandum, & alio nomine dicitur coniugium à coniunctione mutua.

*Quot fines sint, siue appareant ex hac definitione Matrimonij, vt est officium naturæ.*

Duos fines habet matrimonium, quantum est naturæ officium. Primus & principalis est proles generanda, & non solum generanda, sed etiam educanda & promouenda. Et sic principalis finis matrimonij, est debita generatio, educatio, & ad bonum promotio. Vnde Ioan. Viguerius in dictis suis instit. de mat. allegat Philosophum 8. Eticorum dicentem, quod à parentibus habemus. esse, nutrimentum & disciplinam.

*Officia naturæ, scilicet generatio, educatio, & ad bonum promotio, cum quibus conueniant.*

Primum naturæ officium conuenit cum animalibus, quia masculus & femella in animalibus coniunguntur ad prolem generandam. Secundum quoad educationem, conuenit cum aliquibus animalibus, quæ in hoc perfectiora sunt alijs, vt turtur & columba, quia ambo educationi prolis intendunt. In alijs autem animalibus masculus non curat educationem. Tertium quoad promotionem, homo in hac coniunctione excedit omnia alia animalia, quæ non curant de promotione paruulorum suorum ad maiora, dummodò vitæ suæ prouidere possint. Homo enim non solum curam habet educationis, sed etiam promotionis. Vnde Apost. (2. Cor.

(2. Cor. 12.) dicit. Neq; enim filij debeant thesaurizare parentibus sed parentes. filijs.

*Quis sit secundus finis matrimonij.*

Secundus finis matrimonij, est fides siue fidelitas, quæ fundatur in communicatione operum, & indiuidue cohabitatione, ad sibi mutuo obsequendum, hoc, enim est necessarium ad perfectam educationem & instructionem proles, licet altero coniugum post generationem moriente, alter habeat supplere, quod tamen non adeo conuenienter fit per vnum, sicut per ambos, nisi fortè aliquando per accidens. In hoc fine matrimonij, coniunctio viri & mulieris excedit coniunctionem cæterorum animalium, quæ non sibi inuicè obsequuntur in infirmitatibus & alijs necessariis. Ideo animalium coniunctio ad generationem non dicitur matrimonium, sed retinet nomen generale, quod est maris & feminae coniunctio, in hominibus autem propter hanc indiuiduam cohabitationem, dicitur matrimonium.

*Vtrum matrimonium vltius inter Christianos alium finem habeat.*

Inter Christianos habet matrimonium abhuc alium finem, scilicet significationem vnionis Christi & ecclesiæ, cuius frequens mentio fit in nostra forma copulandi desponsatos &c. Et ideo dicitur Sacramentum, quod perficit ipsum. Idemq; sacramentum est in viro quoq; & muliere esse dicit Paulus. maius tamen esset vult in Christo & in Ecclesia. Quod autem ad virum quoq; & mulierem perinet mysterium hoc, siue sacramentum, testatur Chrysostr. ser. 20. eum locum enarrans his verbis. Reuera nanq;, reuera inquam mysterium est, & magnum mysterium relicto parente eo qui genuit, eo, qui aluit etiam ea, quæ peperit, quæ miserè & cum labore parturiuit, illis videlicet desertis, qui tanta beneficia præstiterunt, quibus cū consuetudo tracta est, adhærere virum illi, quæ antea neq; uisa sit, neq; aliud commercij cum illa habuerit, atq; hanc etiam omnibus præferre, verè mysterium est. Et parentes etiam, cum ista fiunt non offenduntur, sed magis offenduntur ac dolent cum non fiunt: expensis quoq; pecunijs sumptu facto lætantur. Magnum reuera mysterium & ineffabilem quandam sapientiam

e pientiam

pietiam habet. Istud præfatus dixit in Christo & in ecclesia, Veruntamen non propter ipsum solum ita dictum est, sed quid? ut uxorem scilicet tanquam propriam carnem foueat, quemadmodum & Christus ecclesiam, vxor vero & reueretur virum. Neque dissimilia scribit D. August. quoque de nup: & concupis: lib. i. cap. 10. cuius hæc sunt verba Quoniam non tantum fecunditas cuius fructus in prole est nec tantum pudicitia cuius vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus (Eph. 5.) Viri, diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & c. hæc illi.

*Matrimonium, vt est Sacramentum Ecclesie  
quid includat.*

Matrimonium vt Sacramentum ecclesie, includit omnia, quæ vt officium naturæ, & addit quod fuerit contractum in fide filij Dei incarnati, siue inseparabiliter vniti naturæ humanæ, & ecclesie tanquam sponsæ, ratione huius significationis matrimonium inter Christianos contractum, si fuerit per carnalem copulam consummatum, est omnino (hoc est quocunq; casu adueniente, ante mortem, quoad vinculum) indissolubile, vt probatio. V. uig. d. lib. 8. & 9. ver. 4. & 9.

*Quis, ob quam causam, Matrimonium instituerit.*

Matrimonium, vt naturæ officium institutum est, ab authore naturæ in paradiso terrestri ante peccatum, quando formata Eua de costa Adæ duxit eam ad Adam, qui liberè accepit eam in sociam conjugalem siue uxorem, & dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, eruntque duo in carne vna (vt in d. for. copul. despon. his præfixa copiosè demonstratur) (Dixerat enim Deus (Gene. 1.) Crescite & multiplicamini, & replete terram, & c. Et antequam Adam peccasset, matrimonium erat tantum in officium & ministerium, post admissum verò peccatum, quando caro cœpit concupiscere contra spiritum, iam non in officium tantum, sed etiam in remedium est institutum. Quapropter ad eam virtutem refertur, quæ temperantia dicitur, vt esset continentie remedium, ne esset homo sicut equus & mulus, quibus

non

non est intellectus, sed sciret vnusquisq; vas suum possidere in honore & sanctificatione.

*Quæ, & quot sint bona Matrimonij.*

Bona matrimonij quæ etiam fines dicuntur, recompensantes iacturam, & honestantes siue cooperientes similitudinem & speciem mali, sunt tria, scilicet, proles, fides & Sacramentum, 27. q. 2. omne. Quamuis bonum sacramenti non pertineat ad usum matrimonij, pertinet tamen ad essentiam in quantum matrimonium est perfectum. Et ideo propter duo sola bona matrimonij, sub distinctione, coniuges absq; peccato possunt vti coniugio, etiamsi mulier sterilis sit, aut prægnans, quia est bonum fidei & reddendi debiti petenti expresse vel interpretatiue.

*Quis, & quoruplex sit effectus Matrimonij.*

Multiplex est effectus matrimonij, teste Ioan. de Burgo in pup. ocu. de sac. matrim. c. 1. 7. part. Nam ex quo coniugium inter fideles nunquam desinat esse vtroq; viuentem, hoc est, quocunq; casu (vt paulò supra dictum est) interueniente ante mortem, quoad vinculum est indissolubile, etiamsi alter efficeretur hæreticus, cæcus leprosus, aut quicquid huiusmodi ei eueniat, extra de diuor. quanto, & 32. q. 5. si vxorem. Nisi tantum fornicationis causa, & tunc si quæcunq; persona aliam dimiserit, ipsa maneat casta, hoc est sine coniuge, vel reconcilietur dimissæ 32. q. 1. dixit Dominus. Alius effectus est, quia mulier iuxta doctrinam Apostoli, potestatem sui corporis non habet, sed vir, & è contra. Ideo post consummatum matrimonium, alter eorum non potest aliquam religionem eligere eamq; ingredi, nec continentiam profiteri altero inuito, 32. q. 2. c. 1. & deinceps. Est & alius effectus, quia vir ad debitum vxori reddendum, compelli debet, etiamsi prius eam nunquam cognouerit & è contra, non obstante superueniente affinitate, ext. de eo qui cong. consang. vxor. suæ discretionem & c. tuæ. Quæ autem ipsorum de superueniente affinitate in causa non fuerit, monendus est vt contineat, si noluerit, aut non poterit, alter tenetur illi debitum reddere, sed nunquam exigere potest.

Sed vt summatim dicatur, effectus matrimonij sunt, reprimendi concupiscentiam & faciendi coniuges fideliter assistere & opera sua communicare, & prolem susceptam religiosè ad cultum

Dei nutrire & curidire, quia quodocunque diuinitus datur afflicti facultas aliquas, dantur etiam auxilia, quibus homo possit illa facultate uti.

*Quæ differentia sit inter Matrimonium initiatum & consummatum.*

Initiatum matrimonium dicitur consensus maris & sceminae, in præfenti habitus, quod sicut animo sunt vniti, sic copula (quoad copulam carnalem, quo ad propositum) legitimè vniantur, & secundum Amb. quod desponsatione initiatum, commixtione perficiatur, nisi aliter à Deo fuerit reuelatum. c. 2. de conuer. coniuga c. statutum cum c. seq. 27. q. 2.

Matrimonium verò consummatum dicitur, & est quod à principio definiuimus, & probatur d. 27. & 29. q. 1. cum similibus, & per tex. in l. 1. ff. de nuptijs, institut. de patria potesta. cum princip. iuncto §. final. & quæ ibi notat gloss. instit. de nup. c. 1.

*Quæ & quot requirantur ad Matrimonium legitimè contrahendum.*

Duo principaliter & essentialiter requiruntur ad contractum matrimonij. Primum est materiale & fundamētale, scilicet vt personæ sint legitimæ. Secundum est formale, scilicet consensus legitimus, id est, consensus integer exterius expressus inter præsentes secundum Caieta. cuius fundamentum est, dictum Sancti August. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

*Quæ personæ dicantur legitimæ.*

Personæ hoc loco dicuntur legitimæ, non quod sint ex legitimo matrimonio procreatæ, quia spurij, & ex adulterio nati, possunt matrimonium contrahere, sed dicuntur legitimæ, vir & mulier, qui iure diuino, sacris canonibus, & legibus coniūgi & matrimonium contrahere non prohibentur, nec habent impedimenta dirimētia matrimonium, in quibus cum oporteat pastorem esse bene instructum: ea propter de illis impedimentis quàm fieri poterit breuiter inè tractabimus. Primum autem præmittemus quædam de sponsalibus, quæ frequenter matrimonium contrahendū sicut quoddam præambulum præcedere solēt, secū. d. Nico. in rub. de spon.